

Principum vicesgerentes, Vicedomini, Cancellarii, locorum Præfecti, aut Præpositi, Judices, Administratores, vel quomodocumque alia ratione Officiales; *cap. Clericus 5. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: «Jubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos Officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis.» Concordat *cap. Clerici 15. de vita, et honest. Cler.* ibi: «Clerici Officia sæcularia non exercent;» *c. Pervenit 26. dist. 88. et cit. cap. Clerici 1. et cap. Sacerdotis 3. de Postulando cit. cap. Nulla sunt negotia 1. c. Sacerdotibus 2. et cap. Sed nec 4. Ne Clerici, vel Monachi.* (63. Tertio prohibentur Clerici præsertim Sacerdotes, ne inserviant Laicis in Officiis vilibus domus, fœminisque Nobilibus ancillentur, ac obsequia præstent, ac si essent homines infimæ conditionis; *cap. Sacerdotibus 2. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: «Ne ministri Laicorum fiant;» et expresse de mandato Sanctissimi Sacra Congregat. Episcop. per Litteras Encyclicas sub datum Romæ præcisus his verbis: «Fra le più assidue sollecitudini, che occupano la mente zelantissima di N. Signore per il bene spirituale della Chiesa: una si è di conservare, e ravvivare nel suo vero decoro la Santità, e dignità del Sacerdozio; poichè dispendendo dagli Officj di quest'Ordine l'istruzione, e correzione, e la santificazione de' Fedeli, conviene ancora, che l'esemplarità della vita, e gravità de' costumi sia in esso così distinta, e superiore ad ogni altro, che corrisponda alla sublimità del grado, ed al fine della sua Istituzione. Quindi è, che con l'Oracolo della sua viva voce ha sua Beatitudine ordinato, che si scriva a tutti i Pastori delle Diocesi la presente Lettera circolare, a fine d'excitare una più esatta vigilanza in procurare l'adempimento, ed osservanza dell'ordinazione de' Sacri Concilj Ecumenici, e specialmente di quello di Trento in ordine all'onestà della vita del Clero, e singolarmente in non permettere, ed onninamente impedire, che li Sacerdoti non s'impieghino in Officj servili del Secolo, e de' Laici, e specialmente di Donne, improprij a' Ministri dell'Altare, ed al Carattere Sacrosanto, il quale quando venga conferito secondo le disposizioni del Sagro Concilio di Trento con l'attuale servizio d'una Chiesa, cesserà l'occasione di simili scandali, e si toglierà all'oziosità e povertà in un numero straordinario, e disapplicato, ogni scusa, e compatimento per tollerarii contro i Sacri divieti, in impieghi abjetti, ed indecenti. Saprà V. E. col fervente suo zelo conformarsi con l'esecuzione a quello di sua Beatitudine, e le bacio per fine umilmente le mani. Roma 16. Marzo 1697.

«G. Card. Carpegua Prefetto.

«Loco & Sigilli.

«M. Arcivescovo d'Atene Segr.»

calibus, et coram Juce Sæculari, cum agitur causa propria ipsorum, vel Ecclesiæ suæ, vel miserabilium personarum. Quamquam in Brevibus libere conceditur Sacerdoti sæculari pauperi, ut libere causas civiles, et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocine-

(64. Quarto specialiter prohibetur Clericis officium Tabellionis, seu Notarii publici agere; *cap. Sicut te 8. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: «Fraternitati tuæ mandamus, quatenus Clericis in Sac. Ordin. constitutis Tabellionatus Officium per Beneficiorum subtractionem appellatione postposita, interdicas.» Concordat *cap. Ut officium 11. § verum de Hæretic. in 6.* (65. Possunt tamen Clerici tam Regulares, quam Sæculares esse Notarii, aut Tabelliones in causis Fidei pro favore ejusdem; text. expresso in *c. Ut officium 11. in § ad conscribendas de Hæret. in 6.* (66. Possunt etiam Clerici esse Notarii Papæ, aut in Curia Rom. Fagn. in *cap. sicuti te 8. Ne Clerici, vel Monachi num. 60. et 68.* et Barbosa *ibid. num. 7.* Nam Papa admittendo, vel officium hoc tribuendo Clericis, videtur eos habilitare ad illud exercendum; *arg. l. Idem Ulpianus, ff. de excus. Tutor.* et de facto in Concil. Trid. fuerunt duo Notarii Laicus unus, et alter Clericus, ut patet ex eorum subscriptionibus, quæ habentur in calce Concilii, ut observat etiam ipse Fagnan. *loc. citat. num. 68.* (67. Possunt insuper Clerici esse Notarii in locis, ubi est consuetudo, præcipue in causis Ecclesiasticis seu spiritualibus coram Juce Ecclesiastico. Ita Joan. de Anan. et Philippus relati per Joann. Andream in *cit. c. sicut te n. 8.* Et Goffred. per *c. Quinam 5. q. 1.* ubi Clericus potest esse Notarius Papæ; item Episcoporum, et Archiepiscoporum, ut in *c. Multorum 17. q. 2. et in c. Monachus dist. 77. et Butrius in d. c. sicut te n. 8.* ubi dicit hanc sententiam esse veram, et *ibid.* Ancharan. *n. 2.* ubi dicit esse veriorum; Hostiens. *n. 3. vers. Quid ergo;* Barbosa *n. 9.* et alii, et ratio est quia sola lege humana prohibitum est Clericis Officium Tabellionis, adeoque vi consuetudinis id peragere possunt; *arg. cap. fin. ne consuetudine, maxime in causis Ecclesiasticis coram Juce Ecclesiastico, ut pleris que in locis Episcopi pro suis Cancellariis, Actuariis, et Tabellionibus adhibent Clericos.* (68. Fagnan. tamen *loc. cit. n. 61.* variis solide adductis sententiam contrariam sequitur et propugnat. (69. Quinto, est Clericis absolute prohibitum, ne judicium sanguinis exercent, aut sententiam sanguinis dicent, proferant, vel executioni sententiæ intersint, et nequidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur; *cap. Clericus 5. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: «Clericis in Sacris Ordinibus constitutis ex Concilio Toletano judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus ne, aut per se, truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas;» *cap. Sententiam 9. eod. tit.* ibi: «Sententiam sanguinis nullus Clericus dicet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exercent, aut ubi exercentur intersint.... Nec quicquam Clericus litteras dicet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.» Concordat

tur; quin et tandiu munus illud exercere permittitur, donec certos Ecclesiasticos reditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel Beneficium residentiale obtineat, Benedict. XIV. *de Syn. Diac. lib. 15. cap. 49. § 42. nov. edit.*

*cap. Sape 29. et cap. His a quibus 30. caus. 23. qu. 8. et cap. Ex litteris 10. de Excessibus Prælat.* (70. Hinc Clerici, seu Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possunt, et debent causas sanguinis Laico delegare, idque generaliter, non specialiter; textu expresso in *c. Episcopus 3. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* ibi: «Episcopus, seu quicumque alius Prælat, vel Clericus jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliis in jurisdictione sua commissio Ballivo suo, aut alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exsequatur, irregularis cœnseri non debet, quamvis ipse Ballivus, vel alius contra malefactores ad penam sanguinis processerint justitiæ mediante. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent et possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare (1).»

(71. Sexto, Clerici non possunt præponi Ruptuariis, vel Ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum. *cap. Sententiam 9. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: «Nullus quoque Clericus Ruptuariis, vel Ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur.» Ruptuarii autem sunt illi, qui præsent machinis bellicis, quibus rumpunt muri, ut notat Joan. Andreas in *dict. cap. Sententiam n. 7.* et Ballistarii sunt iidem, ac Sagittarii. (72. Unde deducitur non posse Clericos constitui Duces, vel Capitaneos militum in bello, ut recte advertit Abbas in *d. cap. Sententiam.* Licet enim Clerici possint interesse bello justo, ac milites ad pugnandum hortari; *cap. Hortatu 10. et cap. Ut pridem 17. caus. 23. q. 8. et cap. Petitio tua 24. de homicid.* tamen non possunt esse belli Duces ordinantes aciem, et dirigentes tormenta bellica, et hujusmodi, *ex cit. cap. Sententiam, Abbas ibidem*, et alii communiter. (73. Septimo, est prohibitum Clericis, et Religiosis publice, seu in Scholis vel Universitatibus publicis Jus civile, et Physicam, id est Medicinam audire; *cap. Nam magnopere 3.*

(1) Rectissime Auctor noster deducit Clericis minime esse prohibitas negotiationes ejus generis, quæ potius artificium exhibent, aut ad illud pertinent; quod et variis Ecclesiæ Canonibus confirmat, atque auctoritate D. Thomæ, qui 2. 2. q. 187. *artic. 5.* hoc etiam de Religiosis edocet.

Quaquidem in re geminæ conditiones ob oculos habendæ sunt, ac eis necessario servandæ, qui hujusmodi artificioso aut oblectantur, aut utuntur, ut vitæ necessitatibus consulant. I. quam indicat etiam Auctor noster, ne Ecclesiasticis officiis inde detrimentum importetur. II. Ne aliquid sordidum, atque indecens Clericorum statui hic occurrat, quod et laicorum frugi offensivum sit, aut dedecus ac contemptus Ordini Clericali inferatur.

Quapropter licet Ecclesiastici Canones permittant Clericis patrimoniales terras, aut alios agros ad se pertinentes colere, lege *cap. Sacerdos 1. de celebrat. Missar.* nihilominus iisdem permittendum non erit, ita agriculturam exercere, seu per se viliora etiam officia obire, ut populo despicabiles reddantur, ac desiderio ditescendi inflammari videantur. Cui, quæso, nostris temporibus vilis non appareret Rector ille

*Ne Clerici, vel Monachi*, ubi adducitur justa ratio: «Ne occasione talis scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur;» et *c. Super Specula 10. eodem titulo*, ubi assignatur pro fine, ut studium Theologiæ, et SS. Canonum magis frequentetur pro dilatatione, et defensione Catholice Fidei contra suos impugnatores, ibi: «Quia vero Theologiæ studium cupimus ampliari, ut dilatato sui tentorii loco funiculos suos faciat longiores, ut sit Fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, etc.» (74. Hic tamen duo sunt advertenda: Primum, quod notanter dicitur, *publice, seu in scholis, vel Universitatibus publicis*, quia privatim ac domi in camera non prohibentur Religiosi, aut Clerici studere Juri Civili, ut tenet communior Doctorum, teste Fagnan. in *cit. cap. Super Specula n. 8. et seq. num. 30.* et observat etiam Barbosa *ibidem n. 3.* et alii, præsertim si id faciant pro pleniori intellectu Juris Canonici, ac Theologiæ. (75. Secundum, quod licet sit prohibitum Religiosis, et Clericis publice Jus civile, et Medicinam audire, seu ei studere, non est tamen eis prohibitum tale Jus Civile, et Medicinam publice docere et legere. Ita Abbas in *d. cap. Super Specula 16.* Barbosa *ibid. num. 7.* Pirhing *lib. 3. decret. tit. 50. n. 37.* Reiffens-tuel *ibidem. n. 10.* Navarr. in *Manual. cap. 27. n. 176.* Fagnan. *loc. cit. a n. 37. usque ad n. 44.* et alii. Licet enim varii Canonistæ contrarium sentiant, ex quo in *d. cap. Non magnopere*, videatur expresse loqui de Religiosis legentibus, et docentibus ibi: «Ad legendas leges, et confectiones Physicales ponderandas... Ad Physicam, legesve mundanas legendas;» tamen quia Honorius III in Concilio Turonensi olim statuisse, ut tanquam excommunicati vitentur Religiosi de claustris exeuntes, ad audiendas Leges, vel Physicam, necesse est, ut Constitutio dicti Alexandri III in Concilio Turonensi condita, et relata in *dict. cap. Non magnopere*, loquatur de Religiosis audientibus,

animarum, qui per totam diem, seu majorem ipsius partem ligone terram foderet, ipsamque stercorearet, ac dein terra, stercoreque sordidatus sacrorum mysteriorum incumberet celebrationi?

Hinc etiam, licet communi Theologorum suffragio Canonum auctoritati innixo, permittatur eisdem Clericis texendi, suendi, pingendi officia exercere, modo tamen, ac decore Clericalis dignitatis caute servato; minime tamen iisdem indulgendum erit, ac permittendum, ut ex uvis emptis per famulos, ac ministros ad id conductos vinum conficiant, quod postea veni exponant; aut ex lanis emptis pannos per artifices conductitios conficiant, quos postea divendere satagant; hæc enim aut similia, licet inter artificia connumerentur, tamen proxime accedunt ad negotiationes proprie dictas, ac mercaturas Clericis interdictas, ideoque per epikelam quamdam censendæ sunt iisdem prohibita. Lege hac de re Dissertationem *De Negotiat.* insertam inter opera Gabrielis Antoine tom. IV. pag. 169. Editionis Neapolit. 1772. ubi hoc ipsum plurimis Theologorum etiam benigniorum auctoritatibus, ac rationum momentis evincitur. (*Edit. Neap.*)



non autem docentibus; alioquin Papa Honorius in *dict. cap. Super Specula* falsum dixisset, et non fideliter retulisset illam Constitutionem, aut certe illius tenorem ignorasset, quod non est dicendum, cum habeat omnia Jura in scrinio pectoris; *cap. Licet 1. de Constitutionibus in 6.* ibi: «Romanus Pontifex, qui Jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere.» (76. Unde quamvis illa, ad *legendas leges, etc.* quæ habentur in *dict. cap. Non magnopere*, inspecto cortice, legentes, et docentes importare videantur, tamen intelligi debent de audientibus, et sic de legentibus audiendo, seu addiscendo, ex quo illa sic intellexit Romanus Pontifex, qui solus auctoritatem habet verba Conciliorum per modum legis interpretandi; *cap. Nec licuit 4, dist. 17.* ibi: «Sed quoties aliqua de universali Synodo in aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de eo, quod non intelligunt rationem... Ad Apostolicam Sedem conveniant.» Et de facto etiam Summarium ipsum *dict. cap. Non magnopere* loquitur tantummodo de audientibus, ibi: «Religiosi professi exeuntes ad audiendas Leges, vel Physicam (nisi infra duos menses ad Claustrum redeant) excommunicati sunt;» adeoque verba illa ad docentes, aut legentes non sunt extendenda, utpote odiosa; *capit. Pœna 18. distinct. 1. de pœnitent. cap. Odia 15. et cap. In panis 49. de regul. Juris in 6.*

(77. Octavo, est prohibitum Clericis artem Chirurgiæ exercere; *c. Sententiam 9. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: «Nec ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit.» (78. Quod etiam specialiter prohibetur Religiosis; *cap. Tua nos 19. de Homicidio*. Sic etiam est ipsis prohibitum artem Medicinæ exercere. *cap. Ad aures 7. de ætate, et qualitate*. Ars enim Medicinæ, et Chirurgiæ, ultra quam quod subiacet variis erroribus, et periculis, est officium sæculare, ob quod Abbas in *cap. Sententiam 9. Ne Clerici, vel Monachi n. 21. et 22.* notat esse absolute prohibitam Clericis, etsi citra adustionem, et incisionem illam exerceant; *arg. cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clericis, vel Monachi*. Et de arte Medicinæ ratio ulterior est, quia prohibetur Clericis illius studium, adeoque multo magis ejus exercitium; Abbas, *loc. cit. arg. c. Cum quid 39. de Regulis Juris in 6.* ibi: «Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.» (79. Hoc tamen limitant Doctores in casu, quo urgente necessitate, et cessante periculo mortis, aliquis Clericus artem Medicinæ, et Chirurgiæ exerceat ex pietate, et charitate erga pauperes in defectu aliorum Medicorum, et Chirurgorum. Barbosa in *dict. cap. Tua nos 19. de homicidio; Pirhing. l. 3. decretal. tit. 50. n. 17. Sanchez l. 6. Moral. cap. 14 et 15. et seq.* Molina, Bonacina, et alii passim. (80. Et de facto indulgetur a Sacra Congregatione Concilii etiam Presbyteris, ut possint compositiones Hyacinthi, Juleporum, et Alchermos facere, et distribuere in usum pauperum, prout indulgetur Canonico Visino Terræ Apiri Came-

rinen. Diœcesis sub die 26. Sept. 1693. (18. Et solet etiam frequenter expediri a Secretaria Brevium Indultum pro Sacerdotibus Physicis, ut possint artem Medicinæ exercere absque incurso Irregularitatis, cum clausula tamen: «Gratis, et Amore Dei erga omnes, attenta penuria Medicorum;» et tunc neque a sponte dantibus poterunt mercedem recipere, quia prohibitum, ne aliquid exigatur, censetur vetitum etiam a sponte dantibus, juxta theoreticam traditam a Sperell. *dec. 37. num. 80.* et Bellet. *disquisit. Cleric. de exempt. Cler. bon. § 2. n. 5.* et ita intelligi debere declaravit Sacra Congregat. Concil. in *Cadurcen. 14 April. 1690. ad quartum*; in qua causa declaratum quoque fuit, quod illa verba Brevis, *attenta penuria Medicorum*, accipienda sunt moraliter. (82. Et si adesset in Brevis alia Clausula, quæ ut plurimum apponi solet, «dummodo nihil petas, sed a sponte dantibus, a pauperibus nihil omnino recipias;» tunc non posset Medicus Sacerdos a Publico conduceri mercede conventa, prout respondit Sac. Congr. Episcop. in *Terracinen. 9. Septembr. 1697. referent. clar. mem. Card. Petruccio*.

(83. Clericis est prohibitum exercere Tutelam testamentariam, et dativam extraneorum. *Rota par. 4. tom. 2. recent. dec. 116. n. 18.* Sacra Cong. Episcop. in *Salernitana 24. Jun. 1619. et in Thelesina 30. Maii 1626. et 13. Jun. 1648.* (84. Possunt tamen Clerici, si velint, Tutelam legitimam consanguineorum usque ad quartum gradum subire, ut colligitur ex *cap. Pervenit 26. dist. 86.* et tenet Grass. *de effect. Cleric. effect. 16. num. 10. et 22.* Turrecremat. in *cap. fin. dist. 86.* Passer. *de statu. hom. tom. 2. q. 187. art. 2. n. 131.* Monacell. *tom. 1. tit. 6. form. 4. n. 1.* et alii passim. (85. Non debent tamen administrationem suscipere, nisi accedente Superioris licentia. Doctores mox citati. (86. Quæ licentia, ut solet concedi a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium, expediri consuevit sub hac formula: «Sacra etc. Benigne indulset Oratori, ut veritatis expositis, et quod ipse uti proximior antedictorum pupillorum Tutor legitimus, et a Jure datus existat, Tutelam, et curam eorumdem suscipere, et gerere, atque omnia, et singula, quæ ad Tutores, et Curatores de Jure, usu, vel consuetudine pertinent, facere, et exercere possit; dummodo tamen Curator negotiis personis Ecclesiasticis interdictis, nullatenus se immisceat, nec quidquam aliud a sua professione alienum exercere permittatur.» Ita in *Capuana 11. Octobr. 1643. in Albinganensi 8. Decemb. 1646. in Verulana 15. Febr. 1647.* ac sæpe alibi, ut tradit Pignatell. *tom. 5. consult. num. 12. quinum. 13.* subjungit, eandem licentiam pro Tutela legitima solere concedi Regularibus, addita clausula: «Dummodo extra claustra non pernotent.» (87. Ordinarie tamen concedi a propriis Episcopis, ut constat ex formula, quam dat Monacell. *tom. 1. tit. 6. formul. 4.* ut sequitur:

N. Episcopus N.

Dilecto etc.

(88. Cum tu N. et N. pupillorum uti proximior Tutor legitimus, et a Jure datus existas, ut Tutelam, et curam eorumdem usque dum ad legitimam ætatem pervenerint, suscipere, et gerere, atque omnia, et singula, quæ ad Tutores, et Curatores de Jure, usu, et consuetudine pertinent facere, et exercere possis, licentiam, et facultatem concedimus; dummodo tamen negotiis personis Ecclesiasticis a Jure interdictis nullatenus te immisceas, sed omnino abstineas. In quorum etc. datum etc.

N. Episcopus N.

Loco & Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

(89. Quo vero ad Tutelam testamentariam, et dativam extraneorum sine Papæ, vel Sac. Congregationis Indulto Clerici ab Episcopo non dispensantur nisi pro pupillis, pauperibus, orphanis et viduis, aliisque miserabilibus personis, pro quibus, quando alius Tutor aptus non posset inveniri, possent etiam cogi, sicuti possunt etiam cogi, pro assumenda Tutela legitima consanguineorum; *cap. Pervenit 26. dist. 86. cap. Licet 1. c. Defensionis 2. dist. 87.* et Glossa ibi; *cap. Decrevit 1. dist. 88.* et Glossa ibi; *Surd. dec. 207. num. 23.* Bellet. *disquisit. Cleric. tit. de Discipl. Cleric. § 23. num. 2.* Turrecremat. in *cap. fin. dist. 86.* Passerin. *de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. art. 2. num. 131.*

(90. Quoad negotia Clericis vetita attendenda est dispositio Benedicti XIV. in Const. incip. *Apostolicæ servitutis*; ubi sub pœnis a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis jam fulminatis, rigorose vetat omnibus Clericis omne sæculare negotium nomine proprio, aut alieno, et sub quocumque colore, aut prætextu exercitum; et sub eisdem pœnis expresse ipsis præcipit, ut statim dimittant quodcumque negotium ipsis spectans via hæreditatis, aut quocumque alio titulo, aut separatim, aut unitim aliis, quamvis ab istis esset exercitum; et si nequeant statim illud dimittere sine gravi detrimento, mandat, quod teneantur obtinere a Sacra Congregatione Concilii, aut ab Ordinario loci expressam facultatem solum concedendam, attentis circumstantiis pro aliquo brevi congruo tempore, intra quod tamen debet negotium exerceri indispensabiliter a Persona Laica: et si intra id temporis exerceatur a Clericis, aut eodem tempore elapso, statim non dimittatur negotium, vult dictos Clericos subiacere præfatis pœnis, et Spolio, non obstante quocumque Privilegio, et Indulto.

(91. Hic ad rem ducimus afferre novissimam Epistolam fel. record. Clementis XIII. super observantia Canoniarum sanctionum adversus Clericos negotiatores et sæcularibus negotiis sese immiscentes editarum. *Venerabilibus Fratribus, universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis*

gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus

CLEMENS PAPA XIII

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum primum incomprehensibili Pastoris æterni judicio in Beati Petri Cathedra constituti, Dominici Gregis curam suscepimus, complures audivimus Ecclesiastico zelo ferventes Viros, præsertim animarum Pastores, et Verbi Dei præcones, qui Civitates, atque Provincias peragrantes, pœnitentiam populis, et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus, et corruptelas, quas pro Ministerii sui officio notarunt, et pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorundam Ecclesiasticorum avaritiam, habendique cupiditatem. Quæ quoniam malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuit, ut ut in atrociora crimina non abripiat, saltem in Dei cultu, propriæ vocationis muneribus obeundis socordes reddat, et ad sæcularia desideria conversos, mundanis addicat curis, et occupationibus, quibus abrenuntiare se publice edixerunt, quum inter sacræ initiationis mysteria, solum Deum hæreditatis suæ partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt, atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum, sive speratum sive jam partum amittant. Hinc se ad abjecta quælibet officia, et ministeria, in gradus, et Ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit, ut Laicorum plerique non eos ipsos duntaxat, qui talia agunt, sed sæpe etiam universum Ecclesiasticorum cœtum contemnunt; quia et amaro, aversoque animo, sint erga illud hominum genus, quorum lites, et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus prærupta sibi viderunt honesta media, per quæ suæ, suorumque sustentationi consulere potuissent.

Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus Regulares Viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus Communitatum suarum emolumentis, ultra Ecclesiasticæ moderationis fines ferri se sinunt, excitari Nos quidem intelleximus, ut Apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate, hujusmodi corruptelam, unde Fidelis Populus scandalum, aliique noxii consequuntur effectus, e medio tollere satageremus.

Verum quum ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usque ad hæc nostra tempora, nihil apertius, nihil districtius aut Conciliorum Decretis, aut Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus statutum legatur, nihil a Sanctis Patribus Ecclesiarumque Pastoribus frequentius, aut impensius inculcatum appareat, quam, ut Ecclesiæ Ministri, tum Clerici, tum Monachi a temporalium lucrorum cupiditate abstinere, et a sæcularium negotiorum sollicitudinibus arcere, se debeant: Cumque non solum



spirituales censuræ, sed etiam gravissimæ temporales pœnæ in eos decreta fuerint, qui Canonicas Regulas hac in re infringere, aut violare præsumperint; omnibus mature perpensis, nihil nobis reliquum esse iudicavimus, nisi ut Vos, Venerabiles Fratres, de constanti enixaque voluntate Nostra, Prædecessorum Nostrorum menti, Ecclesiæque spiritui per omnia inhaerente, commonefactos, Paternis, Fraternalibus hortationibus excitaremus, ut debitam Sacrarum legum observationem ab omnibus Ecclesiasticis, tam Ordinariæ Vestræ, quam Delegatæ vobis Jurisdictioni subjectis ad formam Sacrorum Canonum, et Decretorum Apostolicæ Sedis, ac respective synodaliū uniuscujusque Diœcesis statutorum, exigere studeatis, ac reipsa obtinere curetis.

Ut igitur clarius innotescat perpetuum Nostrum, et Apostolicæ Sedis studium pro religiosa prædictarum Legum custodia, simulque vis omnis adimatur contrario cuiuslibet usui, stylo, aut consuetudini (quæ corruptelæ potius, et abusus, servata legitima vocabulorum proprietate, appellari debent) quibus Ecclesiastici quicumque criminosam suam in negotiis, curisque sæcularibus immixtionem obtegere, aut excusare contenderent, Nos, omnes, et singulas Canonicas leges, et Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, adversus Clericos negotiatores, et sæcularibus negotiis sese immiscentes, præsertim a Pio Quinto, Urbano Octavo, et Clemente Nono latas atque editas, usque ad novissimam, quam S. M. Decessor Noster Benedictus Papa Quartusdecimus sub Dat. Kal. Martii 1741. Pontificatus sui anno primo evulgavit, cum omnibus item, et singulis pœnis, atque censuris per eas respective indictis, perinde ac si decreta omnia in præmissis contenta, eorumque pœnales sanctiones, præsentibus Nostris Litteris de verbo ad verbum inserta forent per easdem præsentibus approbamus, confirmamus, et innovamus; decernentes, ac declarantes, prædictis omnibus legibus, ac pœnis subijci, ac subjectas censi debere omnes, et singulas personas Ecclesiasticas, non solum e Sæculari Clero, sed etiam e Regulari, cujuscunque sint Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, amplissimis licet, et singularibus Indultis, Privilegiis, et Exemptionibus muniti, et cujus etiam expressam et individuum mentionem fieri oporteret; ita ut quicumque adversus hujusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis pœnas incurrant, ac respective ab iis, ad quos pertinet, juxta casuum distinctionem et procedendi methodum alias a Tridentina Synodo, seu ab Apostolica Sede præscriptam, cum effectu multari, et puniri debeant; non obstante contrario quolibet usu, seu stylo, aut consuetudine, etiam immemorabili, quæ aliquo in loco, Diœcesi, aut Religione insolevisse dici posset: quam quidem Nos, veluti damnabilem abusum, et impræscriptibilem corruptelam, earundem præsentium tenore, damnamus, proscribimus, et viribus omnibus vacuumus.

Deinde Vos omnes, Venerabiles Fratres, hortamur, et in Domino obsecramus, ut pro Ecclesiasticæ Disciplinæ integritate, et animarum salute advigilantes, in Clericorum omnium, Vobis tam Ordinario, quam Delegato jure subjectorum, agendi rationem sedulo inquiratis; ac, si quos forte hujusmodi avaritiæ labe infectos, adversus Canones, et Apostolicas Constitutiones peccasse compertis, in eos, ad formam eorundem Canonum, et Constitutionum, cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omitatis.

In quo sane duo Vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Sæpe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudulenter componant, ut quatenus eorum crimen in iudicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi suæque cupiditati inservientis, persona, aut alieno nomine tabulis, et rationum libris inscripto negotiationem, aut conductionem, de qua quæritur, ad se nequaquam pertinere contendere: Modo scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quæstibus a Superiore arguantur, defendere possint non se turpi cupiditate adductos, ad lucrum captandum primario animo intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum, aut sanguinis, aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctorum, bona negotiationibus implicita; ad eorum sustentationem, ex charitatis officio, et directionis titulo, procurare se prædicabunt.

Quamvis autem, propria etiam experientia in Episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit iudicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potior sibi partem vindicat bona, vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuum fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi Ecclesiasticæ Disciplinæ capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod Vestram Ecclesiæque mentem ab obscurioribus etiam eorum prævaricationibus abhorrentem sæpius testatam facietis: iisdemque oblata opportunitate, graviter denuntiabit, haud irrideri Deum, qui hominum renes, et corda scrutatur, nihilque apud Supremum illius Tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiæ Præsulem decipere, indictasque legibus pœnas declinare satagunt. Cæterum non omnino impossibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoscere, occultumque crimen revincere; si debita cura, atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitæ tenore se produnt, rerumque, et casuum adjuncta, quæ

allatas excusationes probabilibus admittendas, rejiciendasve suadent. Id quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de Fraternalitatem vestrarum sapientia, et rerum usu, quantum par est, in Domino consideremus.

Alterum vero, quod æque revera ac illud cavere debetis, est, ne pravas Canonicarum legum interpretationes, quibus earum vigor enervatur, aut indulgentia præter fas extenditur, præter mentem et spiritum Ecclesiæ, ex privatis opinionibus adinventas, et sine legitimi Superioris assensu ad proprii cujusque casus opportunitatem accommodatas, apud Vos ullo modo valere sinatis, ubi Clericorum Sæcularium, aut Regularium negotiationem, vobis Judicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quæstio sit de ipsa natura contractus, qui alia in Diœcesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censi debeat; haud æquum erit pro iudicandi norma accipere, vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quæritur, vel ipsa contrahentium opinionem; sed ad tollendâ dubia, reprimendamque opinantium licentiam, et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam Sedem, quæ sicuti alias complures hujus generis quæstiones, per organum præsertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilio Tridentino Interpretum definivit, ita etiam in posterum, quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet: idoneis editis responsis, ex quibus agendi judicandique regula desumi valeat.

Quo in genere, quum acceperimus perspicuam Nostram, et Apostolicæ Sedis declarationem desiderari super eo, an Clericis liceat Cambium activum contrahere, quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subjectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, præsentium Litterarum tenore declaramus, ac definimus, Cambium activum, natura sua, esse actum veræ et propriæ negotiationis, ideoque Ecclesiasticis omnibus vetitum censi debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam illud contrahere: quemcumque vero e Sæculari, vel Regulari Clero Cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri pœnis, atque censuris, quæ in Clericos negotiatores constitutæ noscuntur.

Si autem Ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod Sæcularibus negotiis se immisceat, necessitatem præferat indigentia, non quidem suæ (quandoquidem unicuique Clerico Canonicus Ordinationis Titulus, vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet, forsitan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus, suæque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere), sed aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Personarum, quibus ex naturali officii debito opem ferre teneatur; primum volumus atque decernimus, hujusmodi excusationem a Superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime suffragari posse, quominus ad Canonicæ legis præscriptum pro modo culpæ

puniatur, nisi doceat, se antea præfatas necessitates Apostolicæ Sedi, si intra Italiam, et Insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus Regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu, opportunam dispensationem, et facultatem prædictas Personas industria sua juvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario impetrasse.

Deinde pro eo, quod pertinet ad hujus Curia nostræ Officia, notum facimus, nostram mentem, et voluntatem esse, ut hujusmodi dispensationes, et facultates numquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductæ causæ veritati nitantur, et nisi simul constet prædictas indigentias nulla alia ratione levare posse, eoque etiam casu numquam Ecclesiasticis permittatur. ejusmodi negotiationis genus assumere, cujus administratio Clericalem statum, et Characterem deduceat; quinimo in ipsis Indultorum Præscriptis, et Litteris indicentur, ac præscribantur honestiores modi, quibus Clericus, justa moderatione servata, et intra veram indigentia mensuram pauperibus Consanguineis operam præstare valeat. Quæ omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in hujusmodi dispensationibus, et facultatibus concedendis observare debent: Hoc insuper advertentes, ne ea, quæ, vel ab ipsis, vel Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permessa, et justis concurrentibus causis, frequentius forsitan indulta dignoscuntur (exempli gratia, ut Ecclesiarum Fundos, certa annua pensione conventa, colendos, exercendosque conducerent), eadem a reliquis Ecclesiasticis, tamquam generaliter omnibus concessa, absque justa causa, et sine speciali indulto usurpentur.

Cæterum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est, obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censi decernimus, ita ut pro invitis, et revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatæ conjunctorum indigentia cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum executione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam atque conscientiam onerari volumus, et reipsa oneratam fore denunciamus.

Verum non uni dumtaxat negotiationi tribuenda est, quæ nunc temporis cernitur Ecclesiasticæ Dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus Ecclesiastici Viri proprium decorem totiusque cœtus, et ordinis existimationem eo frequentius atque securius adjicere dignoscuntur, quod eos nolunt non tam aperte adversari Literæ Sacrorum Canonum, et Constitutionum ab Apostolica Sede editarum; proindeque se censuris, et pœnis ibidem statutis nequaquam subjiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex prædictorum relatione cognovimus, in ipsa honorum suorum administratione, eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium, et cæterorum, quæ in propriis Ecclesiæve fundis enascuntur, seu aluntur, nec non in comparandis rebus, quæ, vel ad